Q. D. B. V.

DISSERT. MEDICA POSTERIOR,

DE

CORYZA SICCA,

QVAM

ANNUENTE DIVINA GRATIA,

IN ILLUSTRI ACADEMIA EBERHARDINA,

Conſenſu Gratioſæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE,

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,

Phil. ac Med. Doct. Prax. Prof. Publ. Ord.

Conſil. & Archiatro Würtemb. Facult. Med. p. t.

DECANO.

Dn. Patrono atq; Præceptore omni obſequii cultu ætatem proſequendo,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores, Inſignia ac Privilegia Doctoralia legitimè capeſſendi

In AULA NOVA,

Publico Eruditorum Examini

ſubjiciet

JOHAN. CHRISTIANUS HUMMEL.

BOTTNANG.

Ad diem *Septembr. Anni* 1689.

TUBINGÆ,

Typis MARTINI ROMMEII.

VIRO
Nobiliſsimo, Ampliſsimo, Experientiſsimo,
Excellentiſsimo,

DN. ELIÆ RUDOLPHO CAMERARIO,

Phil. ac Med. Doct. & Prof. Publ. Ord. Celebratiſſimo, Sereniſſ. Duc. Würtemberg. Conſiliario ac Archiatro Feliciſſimo, Facult. Med. Senior. & h.t. Decan. Spectatiſſimo S.R.I. Colleg. Nat. Curioſ. d. Hector. I. Præſ. Diſp. Inaug.
Præſidi Graviſſimo,

Dn. Patrono, Præceptori, ſtudiorumque ſuorum Promotori omni obſequii genere jugiter devenerando, colendo,

Cum Syncero
Inconcuſſæ,
inter
Quieta, Dulciſsimæ Pacis,
pulſis procul
Sævientis hactenus Bellonæ
procellis,
Halcyonia,
Sanitatis
Voto,
Diſſertationem hanc Inauguralem,
leve licet
non levium
in Academico ſtudiorum ſtadio decurrenti,
collatorum Beneficiorum
redhoſtimentum,
Sacram eſſe vult

RESPONDENS.

Σὺν Θεῷ.

PRÆLOQVIVM.

ANnus eſt, & quod excurrit, cùm Diſſertationem priorem de Coryza ſicca, in qua Ideam Subjectum, Cauſas, & Definitionem expoſui, publicæ ſubjeci ventilationi, in Altera Differentias, ſigna & curationem me ſubjuncturum pollicitus. Studiis itaque Academicis, poſt exantlata nuper Examina, juſſu Gratioſæ Facultatis Medicæ hoc ultimo Inaugurali ſpecimine coronam addere geſtiens, promiſſi mei memor, alteram hâc vice ejusdem Thematis partem ſiſto. Tu verò, Summe Archiater, conatibùs, ſupplex oro, adſis, ut cedant in Tui Nominis Gloriam, Ægrorumque ſalutem.

CAP. IX.

DIFFERENTIAS ENUCLEAT.

DIfferentias affectus hujus varias conſtituunt ſubjectum tàm paſſivum, quàm cauſale, cauſæ & adjuncta varia. Hinc ξηροκόρυζα *Alia* ſolas nares afficit, *Alia* ulterius ſe extendit; *Alia* vitio narium ſolo, *Alia* aliarum partium, *Alia* cerebri culpa, *Alia* ex plurium talium errore oritur: *Alia* à cauſa interna, *Alia* ab externa originem trahit: *Alia* hæreditaria, nativa, *Alia* per morbos alios, per injuriam, ut dictum, vel internam vel externam acquiſita: *Alia* eſt cum febricula remiſſiori, *Aliam* febris comitatur intenſior: *Alia* eſt mitis, brevis, recens: *Alia* vehemens, diuturna, inveterata: *Alia* benigna, *Alia* maligna: *Alia* contagioſa, *Alia* non: *Alia* ſporadica, *Alia* epidemica eſt. Vid. prior. diſſertat. cap. 6. p. 14. Differentia à *Pulverino* brevibus tacta c. 18. d. Catarrh. dum alium cum fluore ſubſtantiæ,

alium citra alicujus ſubſtantiæ fluxum dicit, ad catarrhum in genere ſpectat, & hanc noſtram ſingularem ſpeciem inter alias ſub ſe comprehendit.

CAP. X.

SIGNA DIAGNOSTICA PROPONIT.

SIgna coryzæ partim ſenſibus eſſe obvia, & partim ex ægris ac adſtantibus tàm eſſe manifeſta, ut doctis ea præſcribere parum neceſſe ſit, eſt ſententia *Barbett. Prax. Cap. 4. §. 5.* Sed & affectuum in oculos incurrentium ſigna ſerie docta exponere, & è ſignorum fontibus Medicis, variis nimirum cauſis & adjunctis ac effectibus eruere debet Medicus. Illas *prioris diſſertat.* cap. 5. 6. & 7. Hos cap. 2. recenſet. Nares rubent, ardent, cum levi titillatione, excoriatione, morſu, aliquando ſimul facies, oculi, (quæ partes aliquando ad flavedinem accedunt) frons, caput ob iſtas accuſatas ſalinas acres circa dictas partes ſubſiſtentes ac prædominantes minutias; Caput turbatur, grave eſt, ob denegatum liberum & ſangvinis & ſpirituum motum utrumque tàm inteſtinum quàm localem; ſitis, oris amaror, acris ſalſedo jungitur, cum tales particulæ papillulas glanduloſas earumque fibrillas tenues inficiunt: Sternutatio non ſemper jungitur, ſicut enim non omnia acria ſemper e. g. in raucedine tuſſim excitant, ſed ſaltem aliquando, ita nec hîc ſemper ſternutatio jungitur: ſi adeſt, ab acribus, ſalinis ſpiculis membranam narium interiorem vellicantibus, ſerum fundentibus & expanſionem exploſionem in hoc loco promoventibus oritur. Vertigo cur aliquando jungatur cap. 5. *prior. diſſert.* docet; hanc cum vigiliis non ſemel obſervavit *Excell. Dn. Præſ.* Patronus ac Præceptor meus omni obſequii cultu piè devenerandus. Ex allegatis, ex inflammatoria diſpoſitione, ex febricula juncta ejusque cauſis cur pulſus citatior, frequentior, urina juſto tinctior ſit, facilè patet. Quæ pars *primariò* laboret, ex partis debilitate & excrementis conſuetis retentis, conjunctis propriis iſtius partis ſymptomatibus cognoſcitur. *Signa* verò *cauſarum* quod attinet, an nempe à cauſa interna, an verò ab externa orta ſit coryza, ex ægri relatione & ſignis ſupra recenſitis patet. An benigna an maligna ſit, epidemica graſſatione, virium dejectione nimia, & ſymptomatibus alias huic morbo inſolitis ſe prodit.

CAP.

CAP. XI.

SIGNA PROGNOSTICA EXHIBET.

Circa *prognoſin* formandam ut ſemper ita & hic experimentis firmata & rationibus ſuffulta requiritur prudentia. Ceu enim ſæpius morbus hic medicamentis dicendis intra breve tempus tollitur: ita non rarò in graviores, imò graviſſimos terminatur morbos, veluti à parvis principiis maximos oriri morbos haud infrequens eſt, dum ob cauſæ copiam, activitatem, expanſionem, naribus vicinarum partium facilem receptionem, nimis ſe diffundit cauſa dicta, varios capitis morbos, vertiginem, hemicraniam, epilepſiam, βαρύκοιαν, cœcitatem, paralyſin, narium, faucium, oris ulcera, imò & in aliis corporis regionibus varios affectus producit. Contingit & hoc aliquando, cùm non ad legitimæ methodi Regulas malum hoc tractatur, cùm talia, quæ cauſam in Ma Sa. hærentem, & in parte affecta ſubſiſtentem, ſecretam augent, acuunt, movent, quæ partium affectarum fibrillas magis à textura naturali dejiciunt. Aliquando malum hoc ob cauſæ ſ. particularum indiſpoſitionem ad recipiendam inverſionem, correctionem, diuturnum fit & pertinax. Et licet in hoc vel illo ægro haud diu duret, ſed faciles medicamentis præbeat manus, tamen, quando præſertim æger Rerum non-naturalium uſum debitum ſpernit, non unâ vice redire ſolet. Locus *Hippocratis 6. Epid. 2. 42.* ubi ſcribit, *Lienoſos minimè Coryza tentari*, multùm fatigat Interpretes, dum illorum unus hanc, alter aliam ejus reddit cauſam, ut Ruffus, Sabinus, Galenus, Paparella, Claudinus, Mercurialis, Avicenna, Matthæus d. gradi, Guainerius, Gordonius, Capivaccius, Vincentius, Alſarius à Cruce, Corteſius &c. *Nobis* ante omnia inter univerſaliter vera hoc dictum referendum non eſſe videtur, cùm lienoſos aliquando coryza tentari teſtetur non ſolùm Experientia, ſed etiam ſuadeat ratio. Nam licet Lien particulari morbo ex propria cauſa & ſibi unica laborare poſſit, naribus ſalvis, poſſunt tamen & particulæ inter cauſas à nobis accuſatæ ſimul & lienem & nares lædere.

Periculoſior eſt epidemica maligna, à lue venerea quæ oritur, frequenter recurrit, diu durat, vehemens eſt, & ubi omnia ſymptomata

ſimul juncta, quæ cerebri vitio quam quæ aliarum partium oritur, quæ ſenes, quam quæ juvenes, quæ ægros, quam quæ ſanos invadit. Levior ſi ſolas nares afficit, à cauſa ſolum externa oritur, tantus dolor & ardor non adeſt, & alia ſymptomata mitiora ſunt.

Terminatur plerumque ad ſalutem ſenſim & ſenſim, interdum ſponte, absque medicamentis & ulla evacuatione ſeri vel humoris cujusdam, aliquando tamen ſerum ad excretionem diſponitur per debitè adhibita medicamenta, interdum etiam ſed rariſſimè in hoc caſu ſola natura ad excretionem ſerum diſponit: Ad mortem rariùs, dum in ſupra dictos affectus tranſit.

CAP. XII.

METHODUM CURANDI PRÆSCRIBIT.

M*Ethodus medendi* (quam Empirici, quia non obſervant, præſcribi poſſe negant, ſed malè,) jubet particulas acres ſalinas ſubſiſtentes, potiſſimùm lixivioſas & ſulphureas imminuere, tollere, corrigere, ad ſtatum naturalem reducere, ſerum mite ſuppeditare, cauſas ejus educendo, fovendo, ſtrictiorem ſanguinis compagem ſolvendo, texturam ad ſeparationem indiſpoſitam emendando, glandularum fermentum acuendo, occalleſcentiam ipſarum emolliendo, poros ductulos dilatando, craſin reſtituendo, membranas muco naturali oblinere, ſanguinem, reliquosque humores ad debitam conſiſtentiam redigere, ſpirituum defectum reſarcire, partes affectas priſtino craſeos texturæ figuræ ſtatui reſtituere. In Cura *proſpiciendum*, an quid ſcorbutici, an quid venerei ſub hoc affectu latitet? & eò ſimul dirigenda medicamenta; Sicut &, ubi *particularium partium* vitio oritur hic affectus, ipſi cura præſertim opponenda erit.

CAP. XIII.

E FONTE CHIRURGICO.

V*Enaſectio*, quam contra catarrhos adhibitam raucedinem inducere *Tornamiræ* & *Gordonio* non concedimus, per ſe quidem non indicatur, tamen ſuadenda, cùm ſanguis copia, ebullitione nimia peccat, cum ejus affluxus ad partem affectam compeſcendus, ac motus

uterque

uterque moderandus eſt, ab hæmorrhoidibus aut menſibus ſuppreſſis malum ortū duxit, nullaq; validiora adſunt contraindicantia. Quod & de ſanguinis per cucurbitulas, hirudines, ex hæmorrhoidibus eductione cenſendum. *Cucurbitulæ* ſine ſcarificatione auxilium, quale Frictiones vehementiores, de quibus mox, imò validiùs ferunt. Cum ſcarificatione remedium ſunt adhiberi ſolitum frequentius, quam neceſſe eſt, ut in Lectionibus publicis expoſuit Excell. Dn. *Præſ. Cauteria*, prout non actuale ignitum ſolum dicit hoc nomen, tàm quæ planum, quàm quæ cavum, ſive unico ſive duplici foramine præditum ulcus inducunt, nec hæc ſolùm, ſed & quæ non quidem exulcerant, tamen ruborem cuti inducunt, juvant, particulas heterogeneas imminuendo, per conſequentiam qualitatis & motus vitium corrigendo, ipſam cauſam morbificam etiam immutando. Potiſſimùm ut pax bello paretur, ad mentem *Epaminondæ*, aut potiùs ut minus bellum gravius periculoſius declinet, avertat, præcautionis nimirum gratiâ, *Fonticuli* multum proſunt, ſive veſicatorio, ſ. ſectione, ſ. uſtione, ſ. lapide infernali aut alio potentiali ruptorio inducantur, quod noſtro judicio & ſuaſu Patientis lubitus hîc determinat. Quæcunque autem cauteria, ſ. actualia ex ferro, moxa, linteaminibus aut aliis ignitis, ſive potentialia, capiti in noſtro affectu applicanda non ſuademus, ſimiliter & illam prunorum candentium in cochleari ferreo ſuper chartam bibulam ſive cœruleam capiti impoſitam licet in quibusdam capitis affectibus in ſpecie catarrhi ſpecie certa haud inutilem, hîc non admittimus. *Frictiones* ab *Hippocrate*, *Aſclepiade*, *Galeno*, *Avicenna*, *Rhaſe* & *Aliis* jam commendatæ & tantùm non omnium Medicorum conſilio in uſum variis in morbis tractæ in hoc affectu ſua non deſtituuntur laude. *Duriores* & dolorificæ extremorum tranſpirationem inſenſibilem juvant, ſpirituum ad certum locum impetum retardant, particulas illuc ruituras (non enim dicimus illas actu præſentes) alio ducunt, avertunt, eliminant. *Molliores* partem affectam demulcent, & ut *Hippocrates* loquitur, molliunt, & ſi modicæ ſunt, implent. *Ligaturæ*, quas damnant *Quidam*, ſuadent *Alii* tàm *Veteres* quàm *Moderni*, juvant, ſed vix alio, quàm frictiones dolorificæ, modò. Certorum autem digitorum ligaturam non laudamus. *Pectinatio*, ſi conſueta, non nimia eſt, non dolorifica, juvabit. *Raſuram* capitis *pilorum* Quidam ſuadent, &, qui

capillamenta factitia ſ. les peruques ob unam & alteram cauſam aliquando magis Politicam quam Medicam amant, facili libenti obſequio in uſum ducunt. Verùm maximâ hic cautione opus eſt; non enim tot juvat, quot lædit catarrhoſos etiam ſiccos talis tonſura ſubſequente capillamento, quotidiana Experientia, etiam Excell. Dn. *Præſid.* teſtante. Præſertim, quibus natura pili copioſiores denſiores ſunt, tonſura ſ. raſura talis indigitata non conducit; nè de illis, quæ les peruques inaſſuetis afferunt incommoda, dicamus. *Vellicatio* aurium, barbæ & capillorum verticis à *Quibusdam* in genere contra catarrhos commendatur. In noſtro affectu rarius prodeſſe, frequentiùs irritare magis & ad locum affectum impetuoſo cauſæ motui vias pandere cenſemus.

CAP. XIV.

E FONTE PHARMACEVTICO.

IN quovis catarrho nulla habita ratione *Purgantia* non eſſe propinanda rectè monet Excell. *Strauſſ. Palæſtr. Med.* p. 1. *Gymnaſ.* 13. Purgantia vehementiora nocent, cum acuant cauſam, ardorem, fervorem intendant, ac ſanguinem ad ſecretiorem ineptum magis exagitent quàm depurent in hoc affectu, Hîc ſi in uſum ducenda, ad imminutionem *Cap. 12.* dictam partem exequendam, nullis præſentibus contraindicantibus lenia, ſimul mitigantia eſſe debent: ex. gr.

℞. *Tamarind.* ℥ß.
Fol. ſenæ el. ʒij.
ſem. anis. ℈ß.
Crem. tartari ℈j.
Coq. in aq. fontan. q. S.
℞. *Colatur.* ℥ij.
El. de Tamarind. H. ʒvj.
Aq. cinamom. bugl. ʒj. M. D.
Vel ℞. *Mann. calabrin.* ℥ij.

diſſolv. in *juſculo carnis*, vel *aq. ceraſ. nigr.* vel *cichor.* Similia varia concinnari & propinari poſſunt. Cur Quidam in hoc caſu

☿rium

Ʒrium dulcem formident, ratio in aprico eſt, ſuadente ſimul firmiter Experientia, ob infelicem ipſius obſervatam exhibitionem. *Enemata* vel domeſtica vel ex pharmacevticis officinis deprompta injici poſſunt; Non tamen ſemper evacuatione per alvum medicamentis talibus inducenda opus eſt. *Vomitoria* rariſſimè hic conducunt. *Diuretica* & *diaphoretica* tàm poſitivè, corrigendo nimirum, quàm privativè, educendo particulas lædere aptas juvare poſſunt, nè tamen calidiora acuentia malum ſint, proſpiciendum. Illa ex Ocul. ♋ præparat. ſuccin. præparat. lumbric. præparat. Lap. Lync. Judaic. Cryſtall. & ſimilibus. Hæc ex Unicornu Ver. tàm crud. quàm phil. calcin. C. C. ſine igne calc. Bol armen. lap. bezoar, (cui placet) Antimon. diaphoret. &c. qualia in claſſe Alterantium etiam recenſebuntur. *Ptarmica Errhina* uſitata valdè acria hic exulent, non enim ſolum non proſunt, ſed & malum augent, Haud rarò tàm ſtricta ſanguinis compages, tantus ſeri defectus aut indiſpoſitio eſt, ut nec euphorbium hoc fine potiatur; cauſæ autem hîc præſentis activitas per talia intenditur, ut ergò, præter diſſuaſionem in Coryza quacunque, in ſpecie in hac, ptarmica & errhina fortiora non conveniant. Hinc & *Galenus* monet, nonnunquam evenire, ut & levis narium interiorum inflammatio adhibitis ptarmicis aliquanto vehementioribus abeat in ulcus. De Ptarmicis & Errhinis vid. Celeberr. Wedel. Amœnit. medic. l. 2. ſ. 2. c. 15. In hoc malo *l' eau de la Reyne d' Hongrie* non conducit. Errhina econtra conducunt in coryza ſicca ob vias obſtructas ab excernendi ſeri craſſitie viſciditate. Sed & ibi maxima cautione opus eſt. Maximè autem quis putare poſſet proficuum in hoc affectu *Pulverem* iſtum *Rhevmaticum*, quo Peregrinus quidam & verè Circumforaneus die Flüß abgezäpffet/ de quo plurima ex variis Authoribus collegit Celeberr *Bonetus* Medic. ſeptent. collat. l. 1. S. 21. Curioſe obſervavit Excell. Dn. *Præſ.* ante 30. circ. annos iſtius pulveris operationem in hac urbe. Verum veluti 1. Circumforaneus, qualium hominum proprium eſt fallere, hunc pulverem ſuaſit & exhibuit unde & P. *Kircherus* quatuor in eo impoſturæ veſtigia mox ſubolfecit. 2. Titulo peregrini è longinquis terris advecti commendavit, ceu & hodiè imprudentes valdè (licet ſibi maxime ſapientes viſi) non niſi ex Arabia, India, China, advecta magni faciunt. 3. Effectus quidem is fuit, ut inſignem muci copiam proliceret, ſed tamen,

 quan-

quantum Dn. *Præſ.* obſervare hîc licuit, fluxus iſte partim non juvit, ſed in priori ſtatu reliquit hemicrania, frequenti odontalgia, coryza, ophtalmia, auditus difficultate laborantes, partim in deteriorem ſtatum detruſit. 4. Errhina vehementiora, quale hoc, cujus ſine dubio baſis Evphorbium fuit, acutiſſimum requirunt Medicum ut *Illuſtr. Schröck. in Schol. Hellvvig.* monet. Ita in ſpeciali hoc affectu magis noceret, quam prodeſſet talis pulvis, cum illa ſeri imminutio & textura ad fundendum inhabilis quorumcunque errhinorum vel vim eludat, vel ad ſui cauſam augendam acuendam applicet. Occaſione dicti pulveris inſignes Practicum Medicum juvantes cautelæ produci poſſent, ſed non ſunt hujus loci aut ſcopi. *Alterantia*, ut vocare ſolent, (primo loco ponenda) ſive ipſas cauſantes particulas, partemque affectam, naturali craſi, texturæ, & unitati ſubintratione, immutatione, reſtituentia tàm per os exhibenda, quàm naribus immittenda varia variis cauſis opponi debent. Hinc in uſum ducenda, quæ conſtant minimis aqueis, mucilaginoſis, acidis, infringentibus, imbibentibus, abſorbentibus, (nam & hæc ſalinas lixivioſas particulas enervant) demulcentibus, temperantibus, diluentibus, cephalicis vulgò dictis, ſingulis in ſpecialibus caſibus gradui & determinatæ cauſæ conditioni debita proportione definitis; imò aliquando licèt rariùs ad figentia ob doloris vehementiam & orgaſmi ferocis impetum deveniendum. Varia variis corporis partibus, imprimis capiti applicare etiam ſolent *Externa.*

Formulæ ſeqq. eſſe poterunt.

℞. *Corn. alcis phil. calc.*
C. ph. calc.
Vngul. alcis.
ſuccin. præparat. ana ʒß.
Cinab. nativ. ℈j.
ſacch. cand. violac. ʒj.

M. f. pulv. d. ad ſc. S. Pulver davon Morgens und Abends allezeit 4. völlige Meſſerſpitz voll zu nemmen.

Addi poterunt Ambr. gryſ. gr. ij.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. acetoſ. lactuc. nymph. ana* ℥ij. *ſyr. granator.* ʒvj.
M. S. Waſſer zu dem Pulver/ ſonſten auch öffters ein paar Löffel voll zu nemmen.

℞. Pulv. *cephal. Excell. Dn. Præſ.*
analept. frig. Mind. ana ʒij. M. F.
pulv. S. ut prior.

℞. Aq. *ceraſ. nigr. fragor.* ana ℥iij.
Syr. rub. idæi ʒvj. M. S. ut prior mixtura.

℞. Aq. *acetoſell.* ℥vj.
ſyr. citr. ʒvj. m. d. S. offt ein paar Löffel voll davon zu nemmen.

℞. *Pulv. epil. Marchion.* ℥ß.
ſpec. diaxyloal. gr. vj. M. F. pulv. S. ut priores.

℞. *Conſerv. acetoſ. acetoſell.*
Carn. citr. condit. ana ℥j.
Nuc. indic. condit. ʒj.
ſyr. granat. q. S. M. F. Elect. S. bißweilen ein Caſtanien groß davon zu nemmen.

℞. *Sem. 4 frig. excort.* ana ℈ij. F.
cum *Aq. fragor. portulac.* ana ℥jß.
Emulſ. ſ. Emulſion. vor 1. mahl.

Plures ex pluribus & aliis ingredientibus formulas, qui velit, formare poterit. Nos iſta acrimoniam mitigantia particulas acres invertentia, in aliam texturam redigentia medicamenta juvare in noſtro affectu cenſemus non ſolùm in primam acrimoniæ ſcaturiginem in ventriculo hærentem agendo, radicem affectus ita quaſi evellendo, non ſolùm tales particulas motu ordinario cum ſanguine ad primas vias affluentes immutando, invertendo, hinc partibus aliis non tàm inimicas ampliùs aut heterogeneas transmittendo, non ſolùm fibras nerveas conſolando, ut tale ſolatium & reliquis in corpore communicetur, ſed & è ventriculo actuatas ibi aliàs vix volatiles aut educibiles portiones exiguas, minima medicamentorum, Mæ. Sæ. partibusque remotioribus per vias ordinarias inſinuando, quæ ibi figuras

p. n. texturam ſylveſtrem mixtione ſua invertunt, emendant. Citiſſimus eſt vel juſculi, vel alius cibi quà minima quædam è ventriculo ad puſtulas exteriorum partium tranſitus. Plura alia Experimenta & Obſervationes hoc confirmantes cumulare propoſitus ſcopus non concedit. *Serum lactis* caprin. vel ſolum, vel herbis recentibus vel earum ſucco tinctum, *Juſcula* variis foliis recentibus ex. gr. *fragar. acetoſ. acetoſell.* aut ſimilib. alterata multum juvabunt, imo plus quam decoctum exuccorum ex longiſſimis ab hinc oris deportari creditorum foliorum. *Acidulæ* maximum & præſervando & curando ferunt auxilium.

Figentia in ſeqq. formulas cogi poſſent.

℞. *Sem. papav. alb.* ℥ij.
4. *frig. excort. maj.* ana ℈j.
Amygd. dulc. decort. ℥ij. F. cum
Aq. nymph. papav. errat. ana ℥ij. Emulſ.
cui adde *ſyr. papav. ſimpl.* ℥ß. M. D.
℞. *Extr. bezoard. Excell. Dn. Præſ.*
papap. compoſ. ana gr. iij. M. F.

pil. numero vj. Addi poterit exigente neceſſitate *Laudani opiati gr. j.* Vel pulveri uni vel alteri ſupra deſcripto addatur *Pulv. anodynus. Excell. Dn. Præſ.*

Lac recens emulctum tepidum vel calidum in nares attrahatur. *decoct. hordei flor. nymph. violar.* tum vapore per nares inſpirato, tùm liquore attracto ardor miteſcit & impetus compeſcitur. *Ol. amygd. dulc.* vel *Emulſ.* in nares imiſſ. laudem etiam merentur, *Per Illuſtris Academiæ Leopoldino-Cæſareæ Præſes Dn. Volckamerus, Senior*, ardorem vehementem narium ac dolorem intolerabilem cum rubore impenſo ab imprudenti in nares liquoris errhini injectione oriundum prudenter ac feliciter devicit Emulſion. ex ſem. frigid. cum ſpermate ceti in ol. amygd. dulc. ſoluto confecta per ſiphonem utrinque absque cannula injecta. vid. *Eph. Germ.* dec. 2. Ann. 5. Obſ. 151. Exulcerationem graviſſimam narium & palati in gravida à vehementiori ptarmico oriundam ſuſtulit *Excell. Dn. Præſ.* lacte primum tàm vaccino, quàm amygdalino; pòſt ſucc. naſturt. aq. tandem ſucc. plantagin. addit. ceruſſ. lithargyr. ac roſ. rubr. Virgo quædam nubilis, ut ma-

ut matrifamilias coryza laboranti, & exhauſto radicis betæ cum aq. majoranæ ſucco nares cum dolore contrahenti ludibunda gratificaretur, excepit & illa naribus ſanis liberalem ejus miſturæ portionem, ſed paulò poſt inter cruciatus intenſiſſimos caput ejus totum ita intumuit, ut duplo majus naturali appareret, triduo ab infelici errhino oſtendens faciem tumidiſſimam, duram, ſublividam, præſertim ſub oculis, conqueſta de vertigine, inquietudine, ἀγρυπνία, doloribusque graviſſimis. Cel. *Borrichius* in conſilium vocatus præſagiit læſas primùm ab acri betæ ſucco narium membranulas malum ad meninges cerebri & alia vaſa propagaſſe, ipſius curam ſolò lacte recenti, eoque tepido, DEO benè fortunante proſpere abſolvit, (Modicum ſacchari, ſi non intenſa roſio in naribus eſt lacti addi poterit, vel in tali caſu.

℞. *Aq. ceraſ. nigr.* ℥iij. diſſolv.
Mann. calabrin. ʒij. S. Schnupfwaſſer)

Illinantur nares *unguento roſar. pomad.*

Vel: ℞. *Ceruſſ. aq. plantag.* lot. ʒj.
Succ. plantag. q. ſ. ad conſiſtent. liminent. Poterit addi modic. camphor. vel mucilago ſem. pſyllii.

℞. *ol. lumbric.* ℥ß. *ſucin. citrin. pulv.* q. S.
F. liniment. S. davon einer Haſelnuß groß lawlecht zwiſchen einem zarten Tüchlein auff den Wirbel zu legen.

℞. *C. Cuſt. ſuccin. citrin. maſtich. Flor. roſ. rubr. Lign. ſantal. citrin. ana* ʒij. *M. F. pulv. groſſ. inſuend. ſyndon. rubr. impon. vertic.*

Externa vertici inſperſa illita aliquando juvant, ſed non, catarrhum ſuſpendendo, verùm corrigendo particulas ibi hærentes, motum moderando.

Pediluvia ex Aq. cum cinerib. fagi, vel ex decoct. fl. roſ. inſtituantur.

Balnea calida univerſalia ex aquis mineralibus non ſuademus, ex dulcibus ſpem quidem mitigationis temperationis acrimoniæ fervoris faciunt, ſed ob facilem inde ſubſequentem capitis turbationem coryza hac ſicca affectos iis non immergimus.

CAP. XV.

E FONTE DIÆTETICO.

AEr hic requiritur temperatus purus ab effluviis ſalinis acribus ſulphureis, à vario pulverulento afflatu, ab aromaticis ptarmicis miaſmatibus liber; Ejus ſubita ab uno extremo ad aliud mutatio prohibeatur; ceu ſolis, hypocauſti urens æſtus, ita & frigus mordax nimium nocet; Multamque vim ut in producendo, ita & tollendo hoc malo aër exerit, utpote immediatè locum affectum tangens. In ædium tamen ſelectu pro arcenda vel præcavenda coryza, in capitis ſitu dormientis vel ad orientem vel ad occidentem ſpectante determinando & circa alia varia nimis providi ſunt *Quidam*: Hypocauſta non pauci damnant, ceu & *Eraſmus Roterodamus* in *Epiſtolis* ad amicos ſtubis germanorum ſe non favere paſſim teſtatur. Verùm conſuetudo, & inevitabilis neceſſitas haud raro commendant hoc vel illud; modò æſtus in ipſis non ſit nimius, non ſubitus, aëri exiguus pateat in ſupernis exitus, non nocent; præſertim coryza ſicca vel laborantibus vel facilè obrui ſolitis conducunt magis hypocauſta, in quibus fornaces ex fictilibus, quam ex ferro. Aër ad frigidiorem inclinans non tam nocet hîc, quam fervidior. Turbatus aër qui, ut loquitur ſua dialecto *Avicenna*, animam triſtificat, ceu in omni coryza ita & hic fugiatur aut corrigatur. In correctione autem aëris per ſuffumigia tentanda probè proſpiciatur, ne caput admoveatur, ne fumi malum intendant, quod aliquando à ſolis talibus inducitur ſuffumigiis.

Cibi vitentur *prior. diſſert. cap. 7.* inter cauſas damnati. Eligantur, qui facilis concoctionis, multùm humectant, laudabilem ſuccum ſuppeditant, acrimoniam ſanguini potiùs demunt, quàm conciliant. Ad ſpeciem dum *Quidam* progrediuntur, aſſas carnes humidiores eſſe elixis *Elluchaſem Elimithar* & cum eo plures contendunt: *Hippocr. Galenus* & *Alii plurimi* contrarium ſtatuunt, & hinc aſſas præ elixis ſuadent catarrhoſis. Nos utrumque præparandi modum in coryza ſicca laborantibus admittimus, elixas tamen præferimus aſſis, ſuadentes juſcula earum tàm ſimplicia quàm alterata, quicquid ogganniant *Quidam*. Piſces plerique ad menſam hic admittuntur. Lactis uſum capiti infenſum plurimi pronuntiant Authores, hinc in omni catar-

catarrhi ſpecie proſcribunt: Aliiècontra in calido eum catarrho ſuadent: Nos ſicca tentatis coryza præſertim aſſuetis Lac non prohibemus; quod & de caſeo (de quo & variè dimicant *Auth.*) mediæ ætatis, molli non nimis acri repetimus, inculcantes tamen, *nè quid nimis.* Ova catarrho calido detentis propter febriculam junctam denegant Quidam, quæ & ratio hic militaret; Nos ſorbilia commendamus ut & hordeum, ſpinachiam, portulacam, Endiviam, Cichorium, Amygdalas dulces, oryzam, pruna, pyra, poma, cydonia mala citria, limonia, granata, olivas immaturas, paſſulas utrasque, agreſt. cucumer: & ſimilia ſive alimenti ſive condimenti vicem ſubeuntia. Pro *Potu* laudant *Quidam* Aquam, variis inducti Obſervationibus, quas inter eſt, quam *Louyis Guyon* recenſet de *Rondeletio* Medico & Cancellario Monſpelienſi, qui cum animadvertiſſet, uſum vini etiam diluti dolores ſibi capitis & catarrhos creare, cæpit ab anno 25. ætatis penitùs ab eo abſtinere, & usque ad annum ferè octuageſimum incolumis vixit, nihilque aliud bibit, quàm aquam puram & ſimplicem. *Quidam* Vinum, *Quidam Cereviſiam.* Maximè conſuetudo hic attendenda in caſu præſervatorio; & quoad duo poſteriora limites non tranſiliantur. Aqua frigidior glacie reddita, nimis in abuſum trahitur. Præſente malo, quod deſcribimus, Vinum vel omittatur, vel parcè exhibeatur, ſubſtituto in locum potus ordinarii vel *decocto hordei ſimplici*, vel addito modico *ſem. fœnic.* aut *cinamom.* Nec enim commodum cenſet Exc. Dn. *Præſ.* farraginem ingredientium in ordinariis potibus cumulare. Vel:

℞. *Rad. chinæ* ℥iij. vel ℥ß *C. C. uſt.* ʒvj. *Coriandr. præparat.* *vel. ſem. fœnicul.* ʒj. coq. in aq. fontan. Menſ. j.

Qui conſuevit diluere vinum, vel aqua, in qua cruſta panis toſta maduit, vel decocto dicto diluere poterit. *Vigiliæ* & *ſomnus* mediocritatem teneant, hic tamen in hoc malo remedii loco eſſe: illæ verò malum intendere ſolent, præſertim ſi ſtudia nimia inordinata, curarum intenſio, meditationum profunditas accedant. Somnum capeſſentibus catarrhoſis diſſuadent *Maria Venuſtus* & *Alii* multi pulvinaria, lectos ex plumis, ut & *Plinius* plumam Ganzarum Germanicarum deliciis annumerat: Suadentècontra talia repleta lana, palea, avena, operimenta ex corio. Regionis & in ea aëris conditio, maximeque conſuetudo attendenda eſt. De *Motu*, quod de Vigiliis, & de *Quiete*, quod

quod de ſomno dictum etiam volumus. Ut *excernantur*, quæ naturaliter excernenda retinentur, & præternaturales *excretiones* ſeri ſive ſolius ſive ſanguini mixti *impediantur*, ſufflaminentur, prohibeantur, omni ſtudio annitendum. Nimia Venus ut ubique ita imprimis hic exulet. Nimium *Gaudium* urgente calido catarrho non abs re *Accorombus* & *Guainerius* abeſſe jubent; quod non de hac ſolum, ſed & aliis paſſionibus, mœrore terrore, ira, amore &c. dictum volumus. Ubivis mediocritas obſervanda, imò quantum poſſibile, proſcribat æger terrores, mœrorem, iram. Nec enim contra coryzam ſiccam imò nec contra catarrhos in genere procedit Conſilium *Hugonis Senenſis* pro catarrhoſo, ſcribens inter alia: *In accidentibus animæ poteſt liberè quandoque iraſci. Wittebergenſis Profeſſor tractatu de catarrh. celebris* ſcribit: *Ille certè quem ſortis ſuæ pœnitet, vix tutus erit à catarrhis. Semper enim eſt querulus ac laudat diverſa ſequentes. Angitur is plerumque de alterius fortuna & eſt invidus. Sua quisque ſorte contentus agat negotia, ac orta triſtitia mutet loca & cœlum ac amicos neceſſariosque adeat.* Addimus nos remedia contra paſſionum vehementiam efficaciſſima *Dominorum Theologorum.*

Hæc de *Coryza ſicca* generaliter conſiderata ſufficiant. Subnecteremus *Speciales* in ſpecialiorum caſuum curatione obſervandas cautelas, niſi termini pagellarum anguſtiùs præfixi nos detinerent.

DEO T. O. M. Largiſſimo omnis Boni Fonti pro immenſa Miſericordia, qua me meaque ſtudia hucusque fovit, gratias ago devotiſſimas, ſimul & ardentiſſimè tranquillitatem publicam, Ejus Tutelam Omnipotentem, Ulteriorem Gratiam ac Benedictionem Actionibus meis impertiendam flagito.

FINIS.